



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Qvibus Totvm Hominis Christiani Officivm Explicatvr; Quidque is fugere,
quid agere debeat, quàm exactiſimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindellicorum ; Dilingæ, 1695

Discursus X. De Juramento.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45964](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45964)

penam imperet, quoties deinceps linguâ sic labi contigerit. Emplastrum hoc acre ac morificans sanabit, plagam & diuturnam, & continuo puris fluxu molestant, dummodo ejus usus constans fuerit; nec est, quod de eo ambigatis. Atque ita gemina hæc media, divinam opem quam studiosissimè expetendi, & nihil non ex parte vestrà ad emendationem conferendi, præparabunt animam ad accipiendam à Deo gratiam illam singularem, ut ipse regere ac freno circumducere linguam vestram velit, tum maximè cum irâ impetus aget præcipitem, & nunc ad dexteram, aliàs ad sinistram illam movebit, prout aut divini ob-

sequii ratio, aut proximorum commoda postulare videbuntur. *Hominis est Peccare, Animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Deus, qui quod dicit facit, vestris nunc linguis bene precando mutet illas ex pravis in bonas, & ex maledicis in bene precantes, sic ut nunc non aliud, quam fausta omnia, etiam injuriâ læscentibus precari doctæ, mereantur benedictionem illam benedictionum omnium faustissimam, quâ Deus extremo Mandi die Electis omnibus optime precabitur, propterea quòd nullo non tempore eo affectu Proximos, quo se ipsos, sint profecti.



DISCURSUS X.

De Juramento.

I. Imitatione non caret, quòd tot documentis ipsa nos Natura erudiat ad cautè loquendum. Imprimis enim, si verum est, linguam inter omnia humani corporis membra postremam maternâ in alvo perfici, videtur illa non nisi ægtè dubicque admodum posse induci ad ultimam manum gladio formando admovendam, qui plerumque illi, qui eo nudo, & vaginâ suâ extracto, utitur, plus detrimenti affert, quam emolumenti. Deinde Infantulus vix natus os quidem ad flendum diducit, mox tamen illud etiam adnotâ manu

tegit, tanquàm demonstraturus, quin tamen sciat, quid agat, quâ necessariū sit tacere, & quàm difficile loqui vel inter lamenta. Quam proinde causam esse existimatis, quære S. Basilius, ob quam Natura tot munimentis, internis atquè ac externis, dentibus inquam & labris, linguam circumdederit? Factum id magno consilio, metu nimirum, ne homo tam promptus ad excurrendum linguâ, definitos limites transiliat. Et verò an non videtis in limitaneis urbibus, quæ Provinciarum aditus tuentur, quot pontes versatiles demitti, quot portas pandi necesse sit, ut exitus pateat? Fiant hæc omnia timore hostium, in insidiis alicu-

Arist. l. 7. hist. c. 10.



7. 140.
3.

ler. 4. 2.

alicubi fortè latentium. Si autem in communibus humanorum negotiorum casibus tam plena periculis est linguæ custodiendæ ars, vos ipsi iudicate, quantò illa periculosior futura sit, cùm in negotiis illis gerendis divini Nominis autoritas interponenda est? An necessarium vobis non videtur, ut quis animo sit præsentissimo, omnes ad examen cogitationes vocet, verba libret omnia, in mentem revocet omnia ad deceptionem cavendam documenta, inò ut novam quodammodo præsidium, nova munimenta cum Sacro Vate à Deo petat, ne vel nolens labatur linguâ, ad cavendum tam pronâ? *Pone Domine* *ps. 140.*
3. *custodiam ori meo, & estium circumstantie labris meis.* Ita sanè fieri res postulet; atque hac causâ tanto minus ferendum est, tam pravum abusum irrepsisse, quem hodiernâ die vituperare constitui; est autem eorum, qui omni quasi momento jurant; sic ut multæ jurandi formulæ ob usum nimis frequentem, hodie potiùs adgij alienjus, ut sic dicam, vim, quam juramenti obtineant, propriâ significatione amissâ. Videamus igitur an dedoceri possitis abusum hunc, ea demque operâ rectè jurandi usum doceri.

I.

II. Rectè jurandi modum callere tam est necessarium, ut Deus ipse suo magisterio docere nos illum voluerit: *ler. 4. 2.* *Jurabis, inquit, in Veritate, & in Iudicio & in Justitiâ.* Ut autem rem ipsam penitus intelligatis, opus est primo, explicare, quid sit Juramentum.

R. P. Segneri Christ. Instr. Tom. 1.

tum, ne cum rerum nominibus res ipsas permiscentes non discernatis læcertas à serpentibus, mendacia, inquam, cum perfuriis confundatis. Jurate igitur, est vocare Deum in *Tol. Instr.* *1. 4. 6. 10.* *testem alicujus rei dictæ, id agendo, ut ipse, tanquam prima Veritas falli ac fallere nescia, ratum habeat ac confirmet, quod quis protulit, quando postremo Mundi die quæcunque cætenus manserant occulta, necesse est manifestari. Illuminabit abscondita te-* *S. Thom.* *nebrarum.* Et id circo necessarium *2. 2. 9.* non est hanc divinæ autoritatis compellationem & interpositionem explicitam esse, & apertis verbis fieri; satis est esse implicitam, & non rectâ *89. ar. 1.* *2. ad.* *3.* prolatam. Unde qui affirmat quidpiam per S. Crucem, per Virginem Matrem, per aliquem è numero Cælicum, intelligitur rem à se dictam affirmare testimonio Dei suâ causâ in Crucem suffixi, Matrem suam admirabilem, aut hunc illumve Cælitum ad Sanctitatem ac gloriam evehere dignati: Unde Juramentum non est, si quis dicat: *Per Conscientiam meam: In veritate; quam verè sum honesti amans; quam verè sum vir honoratus,* & quæ sunt aliæ similes res confirmandi formulæ; nec enim apparet, quòd iis vel ipso aperto vocum sensu, vel tacitâ saltem interpretatione quis velit Deum vocare in testem rei assertæ, sed tantùm quòd illam affirmare certius cupiat; perinde ac si quis palàm facere velit, verba sua in labris nata non esse, sed conformia cognitioni, quam de re habeat & profecta ab homine, qui neminem unquam

R

quam

Testi. c. quam fallere & in errorem inducere
42, d. 2. studuerit, aut conatus sit.

III. Istud porro Juramentum ad propositum mihi scopum tria in genera distingui potest: in Juramentum nimirum Assertorium, Promissorium, & Execratorium. Assertorium est, cum quis auctoritatem divini nominis interponit ad confirmandam veritatem, præteritam aut præsentem. Promissorium est, cum eadem Auctoritate quis firmat promissionem futuri alicui factam; Execratorium tandem est, cum Deus invocatur, non ut testis tantum, sed ut Judex, cujus tanquam justus vindicis pœnæ se submittit, qui jurat, si sciens falsum dixisse deprehendatur. Hujus generis sunt illa: *Si sciens fallo, non adsit mihi morienti Deus; membrorum usque destituatur: desiccans tellus me absorbeat, liberos meos olim fame adactos devorem.* Et est perinde ac dicerem: si mentior, Deus mendaciorum vindex ac conscius tanto meo malo palam me mendacem ostendat.

II.

IV. Huic nunc fundamento fabricam nostram superstruamus. Prima itaque Juramenti conditio est, ut juretur cum Judicio: *Jurabis in Iudicio*; quod idem est, ac cautè & prudenter. Scire enim oportet, Juramentum non esse ex eo bonorum genere, quæ per se amari & appeti digna sunt. Juramenta, si Angelicus non erravit, pharmacorum instar sunt, quorum usus est in supplendo fidei humanæ defectu, quæ sine his vacillat in malo est. Quare sicut omne pharma-

cum suo tempore, suâ mensurâ, suo modo sumendum est, sic & Juramentum: non est illo utendum, nisi cum ad finem suum servit: aliâs, ut idem S. Doctor profequitur, quanto majore ad sanandam vi pollet portio medica, quòque est pretiosior, tanto plus illa damni ac discriminis affert abutenti. An autem vos existimatis æquum esse, ut Sacrosanctum Dei nomen, quod utique & pretio, & virtute margaritam omnem vincit, quæ ad pharmacum conficiendum adhibeatur, ita temerè miscatur & nullâ curâ, ac si obvia omni in agro herba esset? imò magnâ semper reverentiâ & honore tractandum est, nec illo utendum, nisi cum operæ pretium videbitur. *Qui intelligit, non in bonis, id est, per se appetendis, sed in necessariis rationem habendam, se frenat se quantum potest, ut non eâ utatur, nisi necessitas cogat.* Hanc in Juramento adhibendo regulam servandam S. Augustinus præscribit.

V. Qui vellet, Regem ipsum venire ad triobolarem aliquam litem componendam, an non is apertè demonstraret, parvi se tantæ Majestatis auctoritatem facere? Legum effatum est: *de minimis non curat Prætor.* Non decet ad litem ejusmodi definiendam descendere Magistratum non supremum, quanto minus id ipsum Principem decet? Et tamen non desunt, qui velint auctoritatem divinam in re nihil interponere? Hoc tanè est, ostendere quòd minus quis nôrit, quid sit Deus, quàm sciat, quæ sit Pontificis Maximi, Dei Vicarii dignitas, qui exigeret,

ut

ut hic nescio quas suas nugas ac jocos, Diplomate ritè & solenniter obfignato, ratas haberet. Atque hæc est causa, ob quam in Sacrà historiâ Servator

Matth. 5. nos iussit, *non jurare omnino.* Non *Id. Sal.* quòd, ut Hæretici aliqui commenti *ner. tom.* sunt, Juramentum quodvis lege hac *tr. 40.* veritum veluerit; sed quòd nollet Juramentum unquam familiari & quotidiano in sermone adhiberi, & velut ex recepto more, sed tum solùm cum gravia momenta id poscerent, morâ & consideratione tantâ, perinde ac si omni nobis esset Juramento interdicitum: hinc Apostolus nuntiat *Th. 2.* quam nisi scripto jurasse scitur: *Non* *illo. 1. q. 89.* *invenitur jurasse, nisi scribens:* Calamitas *2. ad* mus siquidem non ita præcepti solet esse ac lingua, quæ tam est lubrica, ut anguilla instar, cum minimè veris, elaboratur.

VI. Eâ etiã causâ Christiani veteres tam erant ab omni juramento alieni, quàm religiosissimi quique à perjurio abhorrent, ut de ipsis, Eusebius notum sub nomine, Josephus Hebræus refert: *Essent iurandum quasi perjurium vitant.* Et verò sic fieri par esset, nec nisi necessitate ad iurandum induci quis se deberet sinere. *Decal.* Si quis à te petierit, aiebat Philo, ut verum hodie juramento affirmes, promitte te id facturum, sed cras; & si cras ille redierit ad idem petendum, tu in tertium diem illum rejicito; *Si forte differendo,* ut ille loquitur, *possis evitare ne iures.* Hæc jurandi parsimonia in magnum cedit Venerandi Nominis Dei honorem, quod hoc modo reveremur, ut decet; cum è di-

verso illa facilitas, in eo pro re qualibet nauci adhibendo, non possit non in ejus contemptum potius, quàm dignam æstimationem cedere. Sponsa, quæ nullo non die Nuptiali veste indueretur, & inter ollas ac cacabos, inter cantharos ac dolia, verbo, quolibet abjecto ac sordido in ministerio eam gestaret, nã illa nec vestis prætiosa, nec Mariti rationem ullam habere diceretur. At si non nisi feriatis solenni ritu diebus, non nisi iis locis ac ministeriis, in quibus illius labe aliquâ inficiendâ periculum nullam sit veste hac induatur, non parùm honoris ac observantiæ eâ re Marito habetur. Non minus luculentum æstimationis de Deo conceptæ, & debitæ tantæ Majestati observantiæ ac reverentiæ argumentum est difficilis illa mora, quam quis studiosè nequit, antequam ad jurandum induci se sinat, nisi aliud rei momentum ac gravitas postulet.

VII. Quis proinde non indignetur nostri temporis abusui, quo videntur sibi Christiani loqui & agere inter se non posse, nisi Deum testem invocent ad quas vis ineptias ac crepundia? *Plura sunt juramenta, quam verba:* Ut S. Augustinus loquitur. Hoc profecto est Nomen Dei eo loco habere, quo centonem aliquem sordibus tergendis destinatum; non ut pannum auro argentoque intextum tractare. *Alex. ab. lex.* Maltagetas, ajunt, olim per Paludem Mæotidem jurare solitos: his proinde permitti poterat, ut rem quamvis minimam jurejurando affirmarent,

R 2. Chri-

Christiani autem, qui jurant per Deum verum, quomodo non horrent ac refugiant eum à Cælo vocare in terras propter rem quamvis putidissimam? Christianos veteres Animalium fide discimus cum juramento firmare aliquid juberentur, templa accedere solitos & ibi sacro quodam horrore ac reverentiâ perfusos, positos humi genibus, tangendo manu SS. Martyrum tumulos jurasse, perinde ac si non alio facilè loco, sine contemptis periculo Dei nomen invocare possent. Quin S. Cornelius Pontifex ac Martyr, & post illum Concilium Aurelianense illud præterea statuerunt, ut ne in sacrâ æde quidem juraret, qui sibi aliquid jam sump-

22. q. 5. c. 6. ser: *Honestum est, ut qui in Sacris an-*
honestis, det jurare, hoc jejunus faciat: perinde

ac si ad jurandum eâ, quâ ad sumendum divinisimum Epulum, præparatione opus esset, aut potius ne, ut S. Bonaventura cum aliis magni nominis Doctoribus observavit, cibus potusve vaporibus illis suis rationem aliquantum obnubilando, periculo illam exponeret minùs consideratè Juramentum concipiendi, Quin imò Judæi ipsi tantâ sibi jam olim religioni ducebant proferre sublime & nulli communicabile Dei nomen, ut soli Sacerdotes, & hi non nisi tum, cum ritu solenni in Templi adytis Populo bene precabantur, illud pronuncia-

Abul. *rent. Aliàs, cum inter legendum sa-*
Exod. c. 6. erum Codicem id Nomen occurret, 6. & Le- aliud ejus loco substituebant aliis etiã
vit. c. 24. commune non Deum, sed Dominum
appellando, Hæc nos audiamus, & non

pudeat nostrorum temporum, quibus eò ventum est, ut vilissimus quisque nebulo identidem pro libidine impuro illud ore pronuntiet? An non laur plurimi, quibus tam sæpe, tam contemptim Christi nomen in ore est, ac si lurconis, lixæ aut vilissimi seuretano- men esset? Et hi scilicet abunde se purgent, si dicant; motâ sibi bilem esse; si- dem nisi jurantibus jam nullam ha- beri?

VIII. Sed parcius ista: ad iram enim quod spectat, velim sciatis, si commota vobis contra alium bilis est, Deum quoque momento eodem haud paulò justius ac vehementius vobis irasci, dum videt vos omnis erga sanctissimum Nomen suum reverentiæ oblitos; quo audito vel Infernus contremiscit, nihil admodum facere, quocunque ille disa & immania, ad tanti nominis partes implendas, pro vobis perpeffus est. Ne vos, quæso, oblitio capiat illias, quod in Deuteronomio legitur; *Non erit impunitus, qui supra vanâ Nomen ejus assumpserit.* Nolite, in animum ullo modo inducere, vos impunè laturos; nec enim id fiet; nolite errare, nolite credere, in ventos verba illa vestra spargi, memoriam superesse nullam, cuncta memores in tabulas referuntur; iisque apud divinam Justitiam tanta contrahuntur nomina, ut iis olim expungendis stridere & gelido undique sudore perfundi necesse futurum sit. Hæc quæso attentò vobiscum animo reputate, & natus inde horror suo gelu temperabit ardorem, bilis accensæ, quem vos tam pravo abusi prætenetis.

IX. Altera excusatio, quod fides, nisi jurantibus, non habeatur, magis etiam explodi meretur: An enim æquum est, ut vos fidem dictis vestris concilietis, Dei nomine abuti, & ejus honorem negligi ac conculcari, ut vester illæsus servetur? quid hoc aliud est, quàm ex candelabris, & Calicibus Altaris aureis conflare vomeres, quibus agri vestri terram prolcindatis? quid aliud, quàm maximis impendiis & sumptibus tantillum lanæ captivæ velle emerari? Quamquam repetitis oportunitate qualibet levissimis Juramentis ne id quidem, quod spectatis, consequi datur. *Juras tu, dictum olim fuit Romæ cuidam, cui Carbo nomen, Juras, inquam, ut fidem dictis certiore adhibeam; & ego vicissim iuro, quod nunquam tibi credam minus, quam cum iurar.* Nihil constantius à nobis dicta affirmat, quàm vita ex virtute acta, & veritas semper sincerè asserta: & hæc est lex illa, quam Solon, inclitus ille Legislator, subditis suis tulit: sic vivere, ut ad fidem obtinendam necesse non sit jurare. Non nisi verum dicere solito, fit injuria, si vel simplici eius assertioni fides non adhibeatur: qui autem mendax esse noscitur, huic ne in publicis quidem tribunalibus jurato creditur. Hinc dicere non nemo consueverat: Cave arcana tua cuiusquam alterius auribus committas; si tamen tacere illa non potueris, viro illa mendaci confide; hic enim, si ea manifestarit, nemo illi credit. Nihil igitur valet utraque hæc excusatio. Atque adeo tam vos decet esse alienos à veris etiã juramento promptà voluntate affir-

mandis, ut potiùs cum vel res postulat, non faciliùs ad jurandum inducimini, quàm aliis ad equileum. *Jura-Pluramentum, aiebat Veterum Sapientum aliquis, homini libero pro tormento est.*

III.

X. Quæ tamen dicta sunt hæcenus haud paulò minora sunt iis, quæ dicere me oportet, de Juramentorum abusu. Cum denique Juramento sola deest prudentia & cautio, malum id quidem esse nemo nescit: est tamen malum inter cætera tolerabilius: dum naturã saltem suã noxã gravis rationem non continet. Multo, sine omni comparatione, deterius est, si etiam Iustitiã defuerit; *Jurabis in Iustitiã.* Iurare autem in Iustitiã est juramento asserere res licitas, & quas præstare sine offensã Numinis liceat: id quod maximè in Juramento promissorio locum habet: unde si res, quam quis eiusmodi Juramento promittit, aut minatur, lege divinã graviter vetita est, Juramento promissionem aut minus tales affirmare, Dei nomine interposito, grave perjurii peccatum est. Et verò hoc ipsum noxæ genus est, quo se Christianorum è numero complures sæpe admodum obstringunt, quos cum vix tetigeris, vix tantillum moveris, mox paludis instar putendissimã ferocem horrendum sursum exhalant. *Per corpus, inquit, Dei non feres impune: Per sanguinem Dei dabis mihi penas. Quam verè Deus est, tam injuria non obliviscar, nec veniam dabo unquam.* His, & similibus formulis hodie multi utuntur; hæc autem uno in peccato maliciam involvunt geminam. Prima est, obstinata

illa vindictam sumendi voluntas, contra quam Deus iusserit: altera gravior, est testem voluntatis tam confederata: vocare Deum, qui illam tam vehementer exosus est, & abuti auctoritate divinâ ad affirmandas violationes legum ab ipsa latarum. Parentem cogitemus virum honoratum, qui filia suâ prohibeat, ne licitori nubat: si tamen hæc non solum pergat contumaciter hunc maritum velle, cum summo familiae & agnatorum probro; sed Parentem etiam cupiat Matrimonii contractui testem adesse, an non contemptum ac injuriam illa geminat facinore tam indigno, quam jam alias, justo imperio spreto, eidem infert? Nemo est, qui dubitet: quare cum reos vos pro sacro Tribunali agitis, nolle vos velim, exigere confessionis integritatem, ut geminam hanc actûs tam turpis malitiam distinctè explicetis: nec satis erit dicere ac fateri, quod Juramento se quis modo non debito obstrinxerit, sed explicanda etiam est mali, quod facturum se quis juraverit, natura; dicendumque v. g. *Juravi quod velim è medio tollere inimicum meum; juravi nolle me dimittere pellitem;* & quæ sunt alia eiusmodi.

XI. Præterea nemo sibi ullatenus persuadeat, se ea, quæ male juraverit, teneri re ipsâ exequi. Alia omnia oportet facere: quod enim non absque peccato promissum est, multo minus absque peccato executioni mandabitur. Hinc quàm laudatur sapientia Davidis, qui cum malè consulto iræ impetu jurasset, se totam stulti Nabalis progeniem extirpaturum, precibus

tamen supplicis Abigailis vitam & Marito, & toti familiae donavit; tam reprehenditur Herodis impietas, qui cum temerè jurasset, se facturum, quidquid vanissima illa puella saltatrix Herodias postulasset, stetit iuramento, & ut erat rogatus, sanctissimum Præcursorem capite truncari iussit. *Temerè iuratur, & impiè, quod iuratur, imple ut.*

XII. Ea huius iuramenti vis est, ut præstanda sint quæ promissa sunt, honesta; & tunc, nisi interim rerum status ac conditio mutetur, præstituto tempore ad amissum implenda, maxime ubi de Proximi commodo agitur, sic ut stare iuramento curæ eius coniunctum sit emolumento, non stare verò, cum eiusdem detrimento: hinc fides iurata vel alienis à verâ Religione servanda, Multis quidem gravibusque supplicis vindex Deus variorum Hebræi Populi Regum scelera punivit: in nullum tamen eorum immitius severiusque animadvertit, quàm in Regem Sedeciam. Exutus Regno brevissimi temporis intervallo vidit corporis sui custodes profligatos, Ministros & Aulicos circa se nullos, Civitatem everfam. Templum ipsiusmet sceleris in cineres subsidere, Clientes abstrahi in vincula, filios in Patris oculis jugulari, eosdem mox oculos ipsi erui; vite denique gratiam non ob aliud fieri, quam ut inter compedes & vincula dirissima lentius moreretur. Quæ autem poenarum tam atrocium causa? non alia, quàm quod non steterit iuramento, quo Regi Idolatræ se devinxerat, Nabuccho donosori inquam Baby-

S. Tb. 2.
2. q. 89.
a 7. ad 2.
c. 22. q.
110. ar.
3. ad 5.
1. Reg.
25.

Exech.
7. 18.

Exech.
17. 15.
17. 19.

Hom. 19.
ad Pop.

Ezech. Babylonio. *Spreverat enim Sedecias*
 7. 18. *Juramentum.* Tam rigide debitum suo
 Nominis honorem tuetur Deus, ut eo-
 rum etiam causæ faveat, qui non Dei
 minus, quam hominum hostes sunt,
 quando de periuris castigandis agitur;
 qui sanctissimum illud Nomen despi-
 catui habuerant. Unde non erit dif-
 ficile conjecturam sumere, quàm meti-
 to timere debeant Iuvenes illi, qui
 toties puellæ alicui promittunt jurati,
 se eam ducturos, ut sic incautam faci-
 lius implicent laqueis quos tendunt;
 subinde autem cum eripuerint misera
 quod habebat pulcherrimum & opti-
 mum, innocentiam inquam & pudorē
 virginium, ex furibus periuri negant
 se quidquam promississe, ne reddere
 cogantur. O mortalium miserimos,
 audiant quid per Vatem Ezechielem
 pronuntiet Deus. *Qui dissolvit pactum,*
 17. 15. *nanquid effugiet?* & post pauca: *Uro*
 17. 19. *ego, dicit Dominus, quoniam iuramen-*
tum quod sprevit, ponam in caput eius.
 Faciant, quod lubet, nebulones menda-
 cissimi. Non deerit tribunal, ad quod
 eos delusa Puella citet, et si humanis
 Tribunalibus illudant, aut pretio eo-
 rum sibi favorem concilient: divinum
 non effugient, quod ad necem eos
 Hom. 19. vocat: *Implacabilis est Deus iuramen-*
ad Pop. tis contemptis; quæ sunt S. Ioannis
 Chrysostomi verba. Vigebat in Æ-
 gypto lex, ut quisquis per salutem
 Regis jurasset, nec tamen stetisset ju-
 ramento, extremo supplicio citra om-
 nem vitæ spem afficeretur, si vel
 tantum vitæ servandæ auri gemma-
 rumve pondus promississet, quantum
 molem corporis sui adæquaret. Ex

credam ego, Deum minorem honoris
 sui, ludibrio spectari, rationem habi-
 turum, quàm habeant mortales terræ
 Reges? Non ita fiet, non fiet: Unde
 mibi certò persuadeo, Proditores il-
 los ac periuros, de quibus nobis sermo,
 si quando Dei miserationes im-
 ploraverint, aut surdâ aure negligen-
 dos, aut non nisi ingenti priorum ope-
 rum cumulo numerato & perfoluto,
 quod petunt, obtenturos. *Implacabilis*
est Deus iuramenti contemptis.

XIII. Ultima tandem Turamenti
 conditio, præ cæteris requisita, est
 Veritas: *Iuratis in Veritate.* Non est
 proinde ferenda tam multorum insci-
 tia, quæ quidquid mentientes effu-
 tiunt, paulò post Iureiurando affir-
 mant: *Per Christum, ita & non aliter*
se res habet; Per Deum, quem adoro: Tam
hoc verum est, quàm verè Deus est. Evo-
 munt hoc tam noxium venenum per-
 inde, ut aquam, & purgant se, cum
 dicto: *Nemini cuiquam id nocere.* Si ita
 esset, posset in frustra distringi Cruci-
 fixi Dei simulacrum, & pro auctario
 pedibus conculcari, & dici deinde: cui
 tandem istud nocet? si aliis quis non
 nocet, immensum quantum tamen
 nocet Animæ suæ, simulque gravissi-
 mâ iniuriâ afficit Deum Universi Con-
 ditorem, non aliter, ac mendacem
 aliquem, eum habendo. Dicat
 quis viro Illustri, illum apertè
 mentitum esse; subinde autem ex
 eo quarat, cui eâ re damni aliquid
 illatum sit? Haud paulò maius
 malum ille existimabit mendacii la-
 bem sibi affricatam, quàm si lucu-
 lentum aliquod vulnus accepisset.

Rem

Rem igitur momenti exigui esse, quam falso affirmatis, tam non minuit deformitatem & malitiam perjurii, ut augeat etiam. Sic Angelicus censuit, qui idcirco docet, affirmare jurejurando mendacium joculosum, magis Divino Nomini injuriosum esse, dum nullâ necessitate, imò nec utilitate Deus rem falsam testari jubetur: perinde ac si aliter jam tempus fallere non possimus, nisi Deum eorum, quæ joco falsa asserimus, testem esse velimus.

XIV. Pari ratione vehementer falluntur, qui ut alium gravi malo, ob delictum aliquod subeundo, liberent, à transtris v. g. trirremum, à carcere, à funis supplicio, non dubitant coram legitimo Judice eius Innocentiam jurati asserere, quem nōrunt esse Reum; nec dispar eorum conditio est, qui ut filium parentis inopis juvent ad sacerdotis gradum dignitatemque consequendam, testantur, dotatum illi esse patrimonio ad eum finem sufficiente; dum nōrunt, id non esse sufficiens; & si quis eos ob noxam illam reprehendat, respondent, se charitate in proximum impulsos ita jurasse. Itane Charitate? videte per Deum, quid hodie Christianæ Charitatis superstit, postquam eius tantâ ex parte jactura est facta! si egenus quispiam mittat ad petendum ab iis panem, varia causantur, quo minus dare illum possint, at si fictus quispiam amicus Animam ab iis petat, ut Dæmoni illam dono det, nihil cunctati eam concedunt. Quod alienæ indigentia subveniatis, probo; si

tamen id non fiat cum vestram perniciem. Equumne vobis videtur, ut ob agnati alicujus, alicuius Gentilis, aut alterius cujusvis caducum bonum, vos Cæli jacturam faciatis? Charitas est, ad pileum socio in mare delapsum recipiendum, aquas illas natando ingredi: at fluctibus hauriri se sinere, ne pileus pereat, plēs quàm palmaris infania foret. Hoc autem est, quod vos agitis: eo tamen discrimine, quòd vos præcipites agatis vosmetipsos in mare igneum, omnibus stultè perjuris accensum.

XV. Si autem eò quis progredere-
tur, ut coram legitimo Judice peccet, non ad tegendam noxam Reus ad examen vocati, sed ad opprimendam Innocentiam alicuius Justi, quis explicet, quanta eius peccati, & quam horrenda esset deformitas? Viperæ instar esset scorpionibus pasta, & inde præsentissimo veneno plena: dum peccatum hoc completeretur gravissimum Proximi damnum, ex summâ in Deum injuriâ & contemptu ortum. Edicite: fieri potest, eò impudentiæ quempiam prolabi, ut viro magnæ in vulgus æstimationis & autoritatis dicere non vereatur. Propositum mihi est, huic certo homini perniciem moliri, quare veni Domine mi, & mecum coram Tribunali falsum contra eum testare: dic, aliena illum rapuisse, stupro poluisse virginem, plagam alteri inflixisse: etsi falsa sint omnia; aut veni saltem, ut tetteris, expunxisse me, quæ contraxeram nomina, etsi adhuc debeam. Auderet, quæso, ullus virum notæ boni-

bonitatis ad talia sollicitare, nisi mente captus sit? Et à Deo hæc eadem postulare non pudeat? *Quod ab unico non audeo postulare*, ait Philo, *ad id Deum vocas?* O rem dictu scdam! Quid tamen aliud agit, quando ad fallendum alterum, aut perniciem illi accersendam Dei nomine peierando quis abutitur? Aliudne est, quam Deo oblique saltem dicere: Domine, nullus mihi color suppetit, quem dolis meis illinam, nec ars, quâ illos tegam: Tu igitur Cælo delabere, & illo me testimonio iuva, cui nemo non fidem habet in re quolibet: iuva me, proximo accelerare exilium, in ruinam eum impellere: quod mea deest nequitia ad rem hanc perficiendam, Tu nominis tui Autoritate supple. *Esto aliena malitia vicarius*. Si ego tam nequam sum, & tu tam bonus, quid interest? Serviat malo bonus, & pessimo optimus. *Melior deteriori subseruiat, Deus optimus scelesto homini*. Potestne cogitari impudentiâ hæc sceleratâ magis? Audite igitur, quàm belle nôrit Deus excutere onus, quod illi imponera nefarii moliantur, dum falsarium esse jubent. In Corsicâ, notâ illâ Insulâ, pagus est haud S. Bonifacio procul, in hoc à mariti morte vidua remansit mulier æquid, relictique tenax. Reliquerat illi maritus moriens coronatos argenteos trecentos, ad locandam suo tempore honesto Matrimonio filiulam parvo tum natu, conjugii laudati fructum unicum. Metuebat bona lamina, ne eam argenti summam domi suæ retinendo, clepæces furum manus proritare: quare pro suâ bonitate induci se passa est.

R. P. Segneri Christ. Instr. Tom. I.

ad eam apud vicinum deponendum, nullâ petitiâ syngrophâ, depositæ eius pecuniæ teste; quàm enim procul ipsa aberat ab omni fraude, tam aliena etiam erat ab eâ in aliis suspectanda. Crevit interim filia, & jam eius elocandæ tempus aderat: unde conjugio jam rato, Mater depositam pecuniã à credito amico repetit: hi lucri spe excæcatus, negat audacter, ac pernegat, ullum se ab eâ vel assem unquam accepisse: & si quid, aiebat, à me petis, vade, & per Judicem id à me repete. Sed quid ageret infelix vidua, quæ alterum in Tribunali testem producere non poterat, quàm ipsius per fidi coniugem, si verum illa fareri vellet? Ivit tamen misera, & Judici, quod res erat, amaras inter lacrymas exposuit. Iudex miseratiõe motus acciri ad Tribunal perfidam jubet, & cum eo coniugem, ac Juramento consueto testari utrumque iussit, quod erat. Iuravit uterque per suam & suorum liberorum vitam, nihil se de pecuniâ, quæ repetebatur, scire. Sed prò! quàm potens brachio punire Deus potest, qui nullo eius metu tanguntur! Erant perjuri illis filii tres; duorum non nisi mensium unus, quinquennis alter, tertius annorum quinque supra viginti; cum ecce, domum revescã coniux; mortuum reperit filiolum natu minimum, & suis cunis sepultum; quæ mirâ quadam ratione erant everte. Agnovit confessionem vindicem Dei manum, jamjam imminentem; sed pro eo, quod admissi veniam peteret, in desperationis rabiem acta, arrepto cultro quinquennem etiam filiolum jugulavit. Nondum finis Tragediæ.

gædiæ. Maritus domum & ipse subinde appulsus, partim funesto gemini filii occisi spectaculo, partim animi sui scelera exprobrantis dirâ conscientia stimulatus, in furorem agitur, mucrone ream coniugem transveherat, & omnem viciniam clamoribus implens, ut omnis jam domus terro cruore natabat, suum ipse facinus prodit. Quid multis? accurrit cum plurimo populo satellitum globus, & reum alieno ad iudicem rapit; nec hic promeritum ad supplicium damnare eum differt. Hactenus, non ultra, ad peritium puniendum progressum Dei Iustitiam existimabitis: sed fallimini: audite igitur, & si potestis, non cohortescite. Deerat eâ in Provinciâ carnifex, qui late contra Homicidam tam impium sententiæ minister esset; hic dum in omni populo quaritur, cum nemo tam tristi ministerio commodare manum vellet, prodit filius perfidi primogenitus, quem annum vicesimum quintum expleisse dicebamus, & ad vindicandam matris unice dilectæ necem, vicit pudorem furore, scalas conscendit, inserto in laqueum Parentis collo præboiat reum, mox in frustra fecat, nunquam magis violatæ Iustitiæ reus, quam dum partes Iustitiæ non suas implet. Sed ne sic quidem contenta Numinis Iustitiæ à vindicando ulterius peritio destitit; ipse enim iste filius, carnificis in Parentem functus officio, non multis abinde diebus, cum resedisset jam & refraxisset conceptus in Parentem furor, reputare secum tacitus cepit, quàm & in patrem

impious, & omnis famæ ac existimationis contemptor fuisset, non verum illum omnium in oculis interficere, & vitam illi tollere, à quo suam ipse accepisset; unde cum quietis jam partem capere nullam posset, eâ tandem se manu ipse interemit, quâ facinus tam terribiliter perpetraverat: atque ita post neces quatuor, actu hoc ultimo demonstravit adimpletam illam Dei protestationem, quâ dixit, maledictionem suam celeritate summâ descensuram Cælo contra illum Impium, qui non formidaret peierare, nec ante in eum sævire cessaturam, quam eum spiritus evulsisset. *Maledictio veniet (audite, Deus est qui loquitur) veniet: & quo? veniet ad domum Iurantis in nomine mendaciter. Sed non satis est venire, habitabit ibi tanquam sede suâ stabilis & commorabitur in medio domus eius.* Sed & hoc parum est: consumer eam, sicut minutissimum in pulverem omnem trabem, & pavementum sit redaturus. *Et consumer eam, & ligna eius & lapides eius.* Quanto satius igitur futurum erat Parenti illi misero imitari antiquum Cliniam, etsi Idololatram, qui maluit numerare auri talenta tria millia, quàm in Iudicio etiam verè jurare, se debitorem non esse; quàm finire se induci à Demone ad peierandum pro trecentis coronatis.

V.

XVI. Accipite igitur, Dilectissimi, præclarum monitum, quo vos S. Augustinus ore meo hic sub finem hortatur, *Falsa juratio exitiosa, vera periculosa, nulla securâ.* Peierare est animam certo exitii sempiterni periculo exponere: &

exponere : duplici maximè ex capite. Primum horum est ipsius, quod admittitur, peccati atrocitas. Nôsse enim oportet, Periurium esse peccatum vel Homicidio gravius & enormius, cum præcepto nobiliori, & scilicet Religionis virtuti repugnet, & ita affirmante S. Thoma, secundum à peccato omnium maximo, ab Infidelitate inquam, quæ aversionem à Deo magis apertam complectitur. Id quod nobis non humana tantùm, sed & Divinæ leges palàm faciunt; Divinæ quidem, quia Periurium præceptis primæ Tabulæ opponitur, occidere autem hominem, præceptis secundæ Tabulæ: Humanæ autem, dum vetant, ne Judices omittant Juramentum etiam publicis latronibus deferre. Quæ autem hæc, pergit S. Doctor, foret prudentia, si maius Periurium & atrocius esset Homicidium? Possent eo casu Judices sibi persuadere, eum, qui scelus ausus est enormius, publicis in viis homines enecando, non formidaturum admittere etiam minus, aud. et perierando. Sed Judices eâ in re prudenter se gerunt. Supponunt igitur vel naturæ magistrâ notum, Periurium esse peccatum maius quovis alio, quod admittere Latio publicis possit, eâque causâ non debere unquam præsumi, inveniri in Mundo Mortalium aliquem tam perfidum, tam desperatum, qui, etsi enormium quorumque facinorum reus audeat, tamen ipsum Deum cælo evocare ad rem falsam suo testimonio affirmandam. Nec minorem in periurio enormitatem

agnoscit Ecclesia; quæ eâ causâ Sacrile, *quæ in Canonibus præcipit, ut non tan- cunque.* tum Fideles huius delicti gravitatem *6. q. 3.* diligenter doceantur, sed insuper, ut periurii reo eadem imperentur pœnæ, quæ homicidæ; septem nimirum annorum severissima à cibis abstinentia, non sine appendice multarum aliarum asperitatum penâlium, quæ parùm hodie notæ sunt, dum transgressionum multitudo fecit, ut indies aliquid de supplicii gravitate detraheretur.

XVII. Alterum caput, ob quod parum ab exitio sempiterno absunt Periuri, est, quia hi vix aliquem è Cœlitum numero inveniunt, qui causam eorum apud Deum Patronus agere velit. Sanctus Gregorius rem non prætereundam advertit: solitos nimirum suâ ætate agros ad SS. Martyrum sepulchra ventilare, & sanitatem inde domum reportare: solitos ventilare energumenos, & pessimos ex iis hospites expelli; ubi verò & Periuri accessissent, solitos ibi magis quam uspiam alibi torqueri malis, quibus erant obnoxii. S. Doctoris verba sunt: *Ad Martyrum sepulchra veniunt egri, & sanantur: veniunt Dæmoniaci, & curantur: veniunt Periuri, & à Dæmone vexantur: perinde ac si Periuris nulla porro parata sit pietas, nulla miseratio, idemque iis accidat, quod nonnunquam causam agentibus contra suum Principem, ut nec auditor inveniat, qui momenta sua proponentibus aurem accommodet, nec Advocatus, qui scribat, nec Procurator, qui causam coram Iudice agat. Verè igitur, Falsa Iuratio exitiosa,*

S. 2.

XVIII. Sed

Hom.
32. in
Evang.

XVIII. Sed nec illud quidem committendum, ut, quæ vera sunt passim, quantumvis levia, juramento affirmemus. *Vera Juratio periculosa*. Ecquod autem eâ in re est periculum? duorum omnino malorum, præsentis unius & alterius futuri. Ad primam quod pertinet, observat S. Joannes Chryostomus, quomodo primorum seculorum Fideles magna quæque ac mira, divino Nomine invocato, patrarint: sedabant tempestates, morbos curabant, sistebant incendia, turbines ac tempestates dissipabant, eâ causâ, quod nunquam Nomen illud Sacrosanctum proferrent, nisi illud glorificandi celebrandique studio. Hodie ipsum istud Nomen passim in conventiculis, & quotidiano sermone nullâ reverentiâ & timore pronuntiatur. Quid igitur mirum, si ejusdem virtute mira jam penitus non operamur? Vera Juramento adstruere, ad Religionis virtutem pertinet, ut notum est. Nequaquam tamen id ita est, cû ad suos duntaxat fines privatos Jurameta ab hominib' referuntur, finis momenti nullius, terram sapientes, & qui excogitari possint, vilissimos, qualis est, in cunctis, quæ quis dixerit auctoritatem sibi planè inutilem velle conciliare. Inversus hic rerum ordo tam non Religionis effectus est, ut potius rectâ cum virtute hæc pugnet, inter Christianos maximè. Si enim ad Christianos plus, quàm ad ullam aliud Mortalium genus pertinet, divinum Nomen exaltare, quæ æquitas sinet, ut Nomen hoc tam vile habeant, ut ad usum quemlibet, etiam minimè ne-

cessarium, temerè id sibi servire velint, perinde ac si Magnum hoc Nomen eum in finem destinatum sit, ut ipsi eo utantur pro arbitrio, non ut ipsi tanto Nomini exaltando serviant? Qui ita se gerit, indignus profectò est, qui ejusce Nominis favore, cùm res vel maximè poscent, adjuvetur. Quos tamen ad fines, quas nostras ad necessitates in Sacris illud literis nobis revelatum est? non ad alias profectò, quàm quæ ad salutem æternam conquirendam pertinent. *Non est aliud nomen sub Cælo, in quo oporteat nos salvos fieri.* Hæc est illa fortissima refugiturtis in cunctis malis nostris, *Turris fortissima Nomen Domini.* Hoc nomen est aylum in Ærumnis; armamentarium in tentationibus; Anchora firmissima in tempestatibus. Quomodo autem ad fines hos sublimes, & homine dignos rectè invocabit Nomen hoc, qui illud identidem nullo reverentis Animi signo compellat? Nemo aylum invenit ad Altare, qui illud profanet. Atque hæc ad lucrum cessans pertinent, quod ex assuetudine, jurandi sine ullo metu, nascitur, etiam falsum juramento non affirmetur.

XIX. Emergens autem damnum, malum nimirum futurum, sunt vitia haud sanè levia, quæ assuetudo ista secum trahit. *Vir multum jurans implebitur iniquitate.* Sic Deus ipse testatur, id indicans, quòd homo crebrò multumque jurans, si non est jam plenus iniquitate, paulò post tamen certò futurus sit. A Juramento præstito sine judicio & Prudentiâ, transibit ad jurandû sine justitiâ, & à juramento sine ju-

Eccl. 13.

9.

Iac. 5.

12.

ju-

justitiâ proficiet ad jurandum sine veritate, quorum malorum quodlibet altero majus est. Primo enim modo qui jurat, furat ut temerarius, qui secundo, ut iniquus, qui tertio ut perfidus. Nec est cur quisquam speret meliora: ut enim, qui multum loquitur, non potest non saepe labi, etsi conetur non labi, non uno genere sermonis; sic qui jurat multum, necesse est & ipsum saepe impingere & prolabi.

Eccli. 13. Hinc illud: *Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illâ.* Prolabi volent & qui volunt, & qui non volunt, maxime si quis ab equo freni impatiente ferri se sinat, quo fert impetus. Similis autem eiusmodi equo lingua est. Nihil proinde tutum sacris, nisi omni jurandi usu sibi interdicere: *Nulla juratio secura.*

XX. Hoc igitur est, Auditores dilectissimi, quod hodie vobiscum statuere vos decet; nunquam jurare deinceps. *Ante omnia nolite jurare Fratres mei:* quod est monitum Jacobi Apostoli, summam vobis allaturum utilitatem, si audire & sequi non neglexeritis; *nolite jurare.* Quid refert, an alii dictis vestris fidem adhibeant, an verò non adhibeant? exigui sanè hoc momenti est: quòd autem perierandi quis se exponat periculo, hoc enim verò momenti est non levis: adeò ut securitatis eà in re consequenda gratia opere pretium futurum esset, perpetuè sibi silentium imperare. S. Joannem Chrysostomum Annales narrant in omni bene longâ vitâ iurâsse nunquâ: id quod ab aliis quoque magnâ virtute præstitum legimus. Quid igitur pro-

hibet, quo minus id nos quoque facere decernamus, saltem si necessitas maxima aliud non suaverit? quæ est regula jam pridem à Magno Augustino proposita. *Quantum in te est, aiebat De mente, non affecler, non ames, nec quasi pro dae, c. 15.*

bono, cum aliquâ delectatione appetas insurandum. Cum Principum aliquis publicâ præconis voce vetat aliquid, aut iubet, videmus eiusmodi imperia reverenter à subditis observare. Dum ergo vetat Deus Sanctissimum Nomen suum in vanum assumi, quid eo præcepto spectat? An non ut lege, ritu solennissimo promulgata, Nomen hoc à linguis hominum parùm reverentibus nullo probro, nullo dedecore afficiatur? Ut quid igitur non omnes paratissimi, iussa hæc & audiunt, & faciunt? Audio vos sub isto Juramenti abstinendi decreto genere haud aliter, ac sub onere viribus vestris longe maiori & intolerabili, propterea, quod tot annorum assuetudo difficillimum vobis faciat non jurare, Sed dicite: antequam sua Princeps iussa promulgari curaret, an non potest quis in more positum habuisse venari per agros & nemora quot diebus? cur tamen is, hac licet illectus assuetudine, à promulgatâ lege Principis tam diligenter omni venatione abstinere? An non, quia prohibentem Principem moruit? Idem igitur in re nostrâ facite: Deum timete, & mox vel repugnante assuetudine emendatum videbitis temèrè iurandi morem. Si S. Joanni Chrysostomo fides, nulla est tam inveterata assuetudo, quæ timori non cedat, si hic verus sit. Est,

cui volupe ac frequens sit fluminis undis æstate ablui; cum hic audit ex Medico, valetudini hoc plurimum nocere in homine id ætatis, porro non lavat. Est, qui vinum nullâ non die bibit; non bibit tamen, cum caloribus febrilibus tentatur; assuevit prodire in publicum, & liberio rem auram captare; tum cubiculi se laterbris abdit; assuevit lusui, & aliorum mox consortio sibi interdicit; & hæc omnia morbi augendi metu: *Vides igitur, vides, pergit S. Doctor, Hom. v. 4. quod ubi est timor, facile solvitur con- ad Pop. suerudo, etiamsi valde diuturna sit & necessaria?* Hæc proinde prima est, pravam ejusmodi jurandi assuetudinem dediscendi ratio ac via, timorem concipere salutarem malorum gravissimorum, quæ secum trahunt ejusmodi juramenta; hæc enim causâ, cum Sapiens pronuntiasset: *Vir multum jurans implebitur iniquitate*, mox addidit, *& non discedet in domo illius plaga*; ut, qui tam detestabili a vicio non satis abhorret odio culpæ & feditatis conjunctæ, illum efficacius ab eo metus pœnæ coercerent. Deinde ponite metum, quia non vestris viribus hic vobis devincendus est hostis, Deo adjuvante vincendus est. Dura omnino lex est assuetudo; sed malum vincit & evellit bona, sicut indies legem unam latâ lege aliâ repugnante abrogari videmus. Satis vos facietis muneri vestro, si iis diligenter uti fueritis mediis, quæ malo huic percurando ferunt; & sunt illa ipsissima, quæ Christus velut in imagine

proposuit in linguâ muti illius Evangelici sanandâ.

XXI. Primo in Cælum oculos Servator sustulit; *Suspexit in Cælum*, obtutum divinum! qui tam belle nos docet rationem ac modum suos intra limites continendi linguam nostram, non jam ligatam cum illâ Muti linguâ, sed nimum quantum solutam ac liberam in Dei sui Namine profanando! ad Cælum atollendâ sunt oculi, diligenter perpendendo, quanta quàmque sublimis sit illa ludibrio à nobis habita Maiestas. Tum enim verò apparbit confestim, quàm graviter dedecet hominem, sacrum putredinis, uti nomine tanti tanque verendi Monarchæ, tanquam re vili ac sordidâ ad exonerandam suam bilem, ad affirmandum mendacium à se prolatum, eo ipso temporis momento, quo omnis Cælestis Aula, tam numerola, ter Sanctum appellat Nomen, quod homulus ille tam contemptim profert: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Omnipotens*. Dirigendus dein in Cælum obrutus, ad illam inde opem flagilandam, quam aliunde frustra expectamus, ad domandam effrenem illam linguam nostram. Sic Sanctus Augustinus hortatur: *Si linguam nullus hominum domare potest, deum ad Deum confugiendum est, qui domet linguam nostram.*

XXII. Secundò, antequam sanandæ linguæ manum Servator admove-

ret, *Ingemuit*: & hoc cum nunquam ferè faciant Christiani, vix unquam etiam perferantur. Vix unquam ferri dolent peccata, quæ in contumeliâ assiciendo Dei Nomine admiserunt, sed blandiuntur sibi potius excusationibus illis familiaribus: *Nimis facile mihi concitatur bilis: sic assuevi; non possum mihi imperare: non ita loquor, ut Deum ludibrio habeam*: & sic dum vulnus palpant, pro eo, quod saniem non perfunctoriè abstergant, indies illud reddunt purulentius. Nihil deinceps horum ex vobis audiat, AA. Dilectissimi: reputate potius animo, nullam defendendo abusui tam enormi, & tam pugnanti cum fine, propter quem linguam vobis Deus dedit, sufficere penitus excusationem: ac proinde penas à vobis atrocissimas repetendas, dum pondere ac mensura lenti ac tenacis ignis luetis noxas, quas nullâ non die tam facile & tam nullâ curâ contrahitis. *Ingemuit*. Sitantus vos admissorum cruciaret dolor, cum penitudine junctus, quantum excusationum illis regendis undique conquiritis; ausim dicere, vos jam ab hoc momento alios futuros, maximæ ejusmodi mutationi obtinendæ, aut ipsi vobis imperaretis, aut ab animi arbitro imperari vobis curaretis pœnale aliquod opus, quod freni instar vos, & lubricam vestram linguam coërceret; ut pura abstinentiam à cibo, sui diverberationem, preces in Templo fundendas, stipem inopi porrigendam, & quæ sunt alia eius generis.

Miles nonnemo, qui assueverat temerè Dei nomen compellare, quoties bilis calore effervecebat, jussus est à Sacro Juce toties prono corpore crucem in solo lingue ministerio formare, quoties in sacrilegæ ejusmodi voces prorupisset. Hoc pœnæ genere & animi ille, & corporis vitam servavit: lite enim inter ipsum, & commilitones alios, ut huic hominum fortis id per frequens est, obortâ, veteri ille more suo, & vitii impetu abreptus temerè Dei Nomen & contemptum protulit: sed mox ille peccati pœnitens in terram prostermitur, crucem, ut jussus erat, lambendo descripturus; cum ecce globus ferreâ ex fistulâ explosus sic tergum rast, ut thoracis & interularum partem avelleret, cæterâ innoxius: haud dubiè tamen trajecturus virum, si in pedes erectus constitisset. Agnovit favorem Numinis singularem miles, & grati animi ostendendi ergo ad ædem Deiparæ Lauretanam visendam profectus, suspenso inibi anathemate memoriam tanti beneficii periream & certam reliquit. Lubeat militis hujus exeemplam sequi, & omnem lingue lapsum salubri pœnâ vindicare, & docebit vos experientia, quàm certò animum subitura sit delicti cavendi memoria. Canis si venatorem adverteret commissos errores mulcendo dissimulare, deinceps etiam peccare pergeret: at si errantem venator verberibus non perfunctoriè mulctet, videre erit, etiam bestiam ulmæ grandinis metu haud paulò cautiorem reddi.

Tan-

*Penne-
quin de
Amor.
dr. p.
3. c. 17.
§ 3.*

XXIII. Tandem Christus, postquam in cœlum suspexit, atque ingemuit, infelicis etiam illius muti linguam beneficâ manu tetigit. Agite, ut & vobis hic favor obtingat. Agite, ut vestram etiam linguam crebro tangeret Christus, sæpe divinum ad Epulum accumbendo, eo vobis sine singulariter proposito, ut hoc medio cureris malum longè gravissimum, linguæ inquam abulum tam noxium: & ipso diceris usu, quanta vi polleat Caro illa innocentissima agni, labis omnis expertis, ad persanandam linguam lubricam, sic ut deinceps de vobis quoque verè dici possit: *Et loquebatur rectè.* Qui antea nec quatuor quidem verba proferre nòrat, quin ipso se Dæmone deteriorem demonstraret (nam et si hic vicibus innumeris ad homines fallendos mentitus sit, jurejurando tamen mendacia hæc sua affirmâsse nescitur) qui inquam linguâ erat tam effreni, ut vel Luciferum sacrilegâ linguæ libertate vinceret, hunc mutatum in me-

lius audire erit non nisi ea loquentem, quæ Christianum decet, nec aliis utentem res affirmandi formulis, quàm quas à Christo docti sumus: *est est, non non.* Jamque illud habere persuasissimum, quòd quidquid *his abundantius est, à malo est:* à malo inquam aut vitii proprii irreverentiæ in Deum, aut ab alieno, tarditatis in credendo. O quam rectè, quisquis talis est, linguâ suâ utitur! servit hæc ipsi non ad aliud, quàm ad id, ad quod sui vitis illustribus & Vasallis nobilibus enses, ad propugnandum inquam Domini & Principis sui honorem; non verò ad illam imminuendum. Ille idem Deus & Servator, cuius operâ nostrorum, normam esse decet & regulam, ille, inquam, ipse eadem in vobis etiam nunc denuo operetur prodigia, ut nemo non vestrum dignus evadat beatitatis illius verè magnæ, quanta est, non peccare linguâ. *Beatus vtr, qui non est lapsus verbo ex ore suo.*



DISCURSUS XI.

De Præcepto sanctificandi dies Deo sacros.

1. **S**uperbus ille damnatorum spirituum Coryphaeus, qui inde à principio conatus est Altissimo Deo similis evadere, ipso subinde illo nisu suo

ambitioso, geminando impetum, quo præceps in orbem actus est, jam non id agit tantum, ut similis Deo habeatur, ut olim, sed ut illo maior ac superior. Quare cum Deus, tanquam debitum tot nominibus tributum à mort-